



GEORGII ADAMI STRUVII,
D. J. U. Prof. Publ.

EXERCITATIONEM FEUDALEM
PRIMAM

De

FEUDORUM
ORIGINE, JURIS-

QVE FEUDALIS COM-
PILATIONE ET AU-
THORITATE,

Sub ejusdem Præsidio

Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-
dam ex Jure Criminali *Ἰνδίκια*
annectit

MARTINUS Pils / Fridlandiâ-
Bohemus.

Ad d. XIX. Septembr. Anno
M. DC. LVI.
H. L. Q. C.

JENÆ

è Typographèo JOHANNIS NISII,

GEORGI ADAMI STRIVII

D. L. Prof. Publ.

EXERCITATIONES

FELDORUM

ORIGINE TURIS

QUE FEEDALIS COM

THEATRO ET ALI

THEATRUM

Subjunctum Prologo

Præfatio publicæ disputationis

quæ ex Jure Canonico

tractatur

MARTINIUS DE RIGORIS

Opera

Anno MDCCLXIX

MDCCLVI

H. G. O.

PAVE

Typographe Johanne Nisii



I. N. 7.

Res sunt, tradente optimo civilis prudentia
Magistro Aristotele, IV. Pol. 14. omnium re-
rum publ. partes: quibus bene se habenti-
bus, necesse est, remp. bene se habere. Illa-
rum partium una est, quæ versatur in publi-
cis consiliis; altera in magistratibus; tertia
pars in judiciis consistit. Atque ad hanc partem tertiam,
quam prudentia dirigit judiciaria, pertinent delicta & crimi-
na: ut idem jam laudatus exponit Philosophus. d. IV. Pol. u't. Quæ
coerceri reipubl. maximè interest. Unde non solum in
Jure Romano duobus libris Digestorum XLVII. & XLIIX.
quos terribiles appellat Justinianus Imp. in l. 2. §. septimus
autem. 8. C. d. d. vet. jur. enucl. nec non integro libro IX.
codicis hæc materia pertractatur, sed etiam peculiaris ordi-
natio Criminalis ab Imp. Carolo V. & Statibus imperii in
comitiis publicis anno c^o 10^o XXXII. constituta. Ex isto
itaque criminali jure quædam delibare lubet. Non verò
est, Candide Lector, quod à nobis, in juvenili ætate constitu-
tis, quid novi expectes, quippe quibus solum propositum
est, ab aliis bene tradita, & quæ usum in vitâ civili habent;
colligere, atque ut firmitus menti inhæreant disputando nos
exercere.

THESES. I.

Delictum in genere est actus seu factum imme-
diate, seu extra ullius conventionis considerationem, con-
tra legum prohibitionem sponte commissum, quo ad

A

2

præ-

præstandum quid patiendumve quis se obligat. l. 25. §. 1. l. 4.
l. 52. §. 8. de O. & A. pr. f. de obligat. quæ ex del. nasc.

II.

Per actum seu factum significatur materiale delicti:
in transgressione verò legis, aut rectitudinis, quam lex præ-
scribit, privatione formale ejus consistit.

III.

Aristoteles delicta dicit συναλλάγματα ἀκέραια negotia
(ut Heinsius vertit. Andron. Rhodii paraphras. l. 5. Ethic. 2. c. 7)
invita seu involuntaria. V. Eth. 2. in fin. Cur ad synalla-
gmata s. mutua negotia, obligationem parientia, referat
philosophus delicta, rationem exponit Michael Ephesius in
d. l. scribens: γέγονε τρόπον ἵνα δόσις καὶ λήψις ὅ ἐστι τὸ συναλλάσσειν.
λαβὼν γὰρ χεῖματα ἢ ἄλλο τι κλέψας δέδωκεν αὐτῷ ἐκείνων εὐθύνας.
Est hic quodammodo datio & acceptio, in quibus consistit natu-
ra negotiorum mutuatorum: nam qui res aut aliud quid furatus
est, pro eo dat pœnas. Et porro notat idem: συναλλάγματα οἱ
παλαιοὶ ἐκάλεον ἔ μόνον ἀ ἐκόντες συνέλιθεντο πρὸς ἀλλήλους ποιεῖν,
ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπὸ τῶν νόμων διηγορευμένα. Synallagmata à vete-
ribus appellabantur non tantum, quæ mutuis conventionibus
constant, sed & quæ legibus sunt vetita. Nimirum qui delin-
quit, perinde ut in contractibus, voluntate & facto suo se vi-
detur obligare pœnæ nec non restitutioni: quia crimen non
potest non esse punibile: ac qui directè vult peccare, per con-
sequentiam & pœnam mereri vult. Unde Imperatores Seve-
rus & Antoninus cuidam rescripserunt: ipse te huic pœnæ sub-
didisti. l. imperatores. 34. d. Jur. fisc. Add. l. ult. C. ad L. Jul. Maj.
Conf. Andron. Rhodius paraphras. lib. Ethic. Aristot. d. l. 5. c. 7.

IV. Di-

IV.

Dicuntur autem συναλλάγματα αἰκίσια, non ratione agentis, quippe qui sponte patrat crimen, & dicto se obligat modo: sed ratione patientis, quo invito illud fit, & ignorantia clandestinè, vel scienti per vim infertur. *Arist. d.l.*

V.

Cogitationis (*nuda: uti in Basilic. Lib. XL. tit. 51. l. 18. additur, verb. ψιλῆς ἐνόιας*) pœnam in foro civili seu exteriori nemo patitur. *l. cogitationis. 18. d. pœn. ubi add. Gothofred. in not.* licèt fortè, qui de crimine olim cogitavit, id pœnitentiâ ductus fuerit confessus. Neque enim magistratus civilis potestas ad ea, quæ, mente solùm concepta, in actum planè non prorupère externum, sese extendit. *Vid. latius Fr. Suarez de legib. lib. III. c. 13.* Non verò inde colligere licet, quod leges humanæ, & Jurisprudencia intendunt obœdientiam tantùm externam. Bene namque Aristoteles *II. Eth. I.* tradit: οἱ νομοθέται τὰς πολιτείας ἐπιζοντες, ποιῶσιν ἀγαθὰς, καὶ τὸ μὲν βέλλημα παντὸς νομοθέτου ἴσ' ἔστιν ἴσσι ἢ μὴ δ' αὐτὸ ποιῶσιν, ἀμαρτάνουσι. Καὶ διαφέρει τὸ πρῶτον πολιτείας, ἀγαθῆς φάουλῆς. *Legumlatores cives assuefaciendo honos reddunt: hacq; est a niuscujusq; legumlatoris voluntas, qui verò id non bene efficiunt, peccant, atq; in hoc bona res publ. à malâ differt. Cons. l. 1. §. 1. de J. & J. Vid. Dn. Pres. Syntagm. Jurisprud. Exerc. I. th. 9. 14. & 42.*

VI.

Conatus autem, actus sc. voluntatis, ut Philosophi vocant, imperatus, seu exterior, ad delictum perpetrandum directus, cum inchoata sit delicti commissio, in foro quoque civili est puniendus.

VIII.

De poenâ conatûs' diversimode leges Romanæ statuere videntur. Nobis rem hanc ita explicare placet: Aut respectu agentis delictum est in actum deductum ita, ut, quantum in ipso fuit, sit consummatum delictum; & à parte tantum patientis quid intervenit, ob quod instar conatûs se habeat. Aut verò ne à parte quidem agentis delictum perfectè est commissum: sed inceptum solum & attentatum. Priori casu interest an omnimodâ patientis voluntate quid fiat, & licet sec. intentionem agentis, qui existimat se invito illud inferre, sit delictum *l. 46. §. 8. de furt.* quia tamen non fit invito, adeoq; deest id, quod ad formam delicti pertinet, reverà non est delictum, nec quis præsertim quod poenâ spectat civilem, ex delicto est obligatus *§. 8. init. d. oblig. q. ex del. nasc. junct. d. l. 46. §. 8. in fin.* an verò sciat quidem patiens, sed non aliter permittat fieri, quam ut delinquentem deprehendat, cum aliàs non voluisset fieri: & tunc poena delicti ordinaria obtinet. *d. §. 8. vers. unde J. d. oblig. qua ex del. l. 20. C. de furt.*

IX.

Posteriori casu distinguendum videtur: aut ex interno principio fit, ut delictum non perficiatur, quando scilicet ipse, qui conatus est, poenitentia ducitur & vel nulla, si nimirum nulli injuria illata. *l. 19. ad L. C. de fals. l. 1. C. de Crim. Stell.* vel levi saltem aliqua is afficitur poenâ *l. 11. de in jus voc. l. 21. §. 7 de furt. Add. Menoch. l. 2. de arb. jud. quest. cap. 360. Covarruv. in clem. si furiosus part. 2. n. 6.*

X.

Aut verò conatus externo cohibetur principio: quando
do

do nimirum altero resistente, aliove interveniente, quis impeditur, quo minus, etiamsi velit, delictum possit consummare: ac extraordinariè secundùm modùm admissi infligitur pœna, quæ prout actus vel delicto est proximior vel remotior, variat *l. 1. pr. & §. ult. de extraord. crim. d. l. 21. §. 7. de furt. l. 3. de his qui not. infam. l. 1. §. ult. quod quis q̄ Juris in al. P. H. D. art. 178. verbis: So iemand einer Missethat sich unterstehet / und doch an Vollbringung derselben Missethat durch andere Mittel wider seinen Willen verhindert wird 2c. Neque aliud in Pandectis sacris statuum: & non rectè in contrarium allegatur locus *Exod. XXI, 12.* quem in vulgatâ fideliter non esse verum benè monet Andr. Tiraquellus *de pœn. temper. aut remiss. caus. 38. n. 3.**

XI.

Excipiuntur tamen Jure Romano crimina, quibus enormiter publica turbatur tranquillitas. Cum enim hæc meritò in societate civili singulari sit conservanda cura, adcoq; ejus violatio graviter coercenda: & verò ista securitas etiam solo facto, ad ista crimina patranda directo insigniter lædatur: ideò non iniquè, crimine licet haud planè perfectò, ordinaria statuta est pœna. Vid. *l. 1. §. 3. ad L. C. de Sicar. l. 7. C. eod. l. 1. ad L. Pompej. d. parricid. l. 5. C. ad L. Jul. Maj. c. 1. de homicid. in VI.* Quod etiam consuetudine (*præterquam in homicidio*) modo conatus ad actum delicto proximum pervenerit, servatur Vid. Dn. Carpzov. *prax. crim. 1. q. 17. 62. q. 41. n. 4. q. 35. n. 28. q. 37. n. 11.* Conf. Anton. Matth. *d. crimin. l. 48. tit. 5. n. 11.*

XII.

Ratihabitio in maleficiis mandato comparatur. *l. 1. §. 14. l. 3. §. 10. d. vi & vi arm. l. 152. §. 1. d. R. J.* Quod intelligendum quoad actionem ex delicto rei persecutoriam,
vel

vel etiam de maleficio in actu quodam continuo consistente,
& cujus quis postea fit particeps (*non obst. l. 13. pr. d. his qui not.
infam.*) Secus est in criminibus, ad quæ quis per nudam ap-
probationem post consummatum istum actum nullo con-
currit modo. Add. Ludov. Molin. *de J. & J. tom. 2. D. 729. n.
3. & 4.* Anton. Matth. *d. tr. c. 1. n. 14.*

XIII.

Melancholici à poenâ capitali non sunt immunes. Vid.
Dn. Theodoric. *p. m. Colleg. Crimin. Disp. X. th. 4. 5.* Dn.
Carpzov. *d. prax. crim. p. 3. q. 145. n. 62.*

XIV.


Remedium quæstionum seu torturæ, ad inquirendam
in delictis veritatem, debitis requisitis observatis, rectè ad-
hibetur, frustra dissentiente Bachov. *ad Wesenb. tit. d. qua-
stion. & Anthon. Matthæo eod. tit.* Neq; etiam obstant ex-
empla relata à Justo Oldekopio *observat. crimin. append.*

XV.

Sententiam, quâ in processu inquisitorio appellatio
non admittitur, minùs firmis rationibus impugnat jam no-
minatus Justus Oldekopius *tract. d. appellat. in caus. crimi-
nal.*

XVI.

Neque morem illorum judiciorum, quibus inquisito
exemplar seu copia actorum inquisitionum nō dari solet,
iniquum ostendunt ea, quæ, Idem *d. tr. annexar.
question. 1.* affert.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 0662449

coll. diss. B.46

